Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Sicut autem non potest esse servus qui non habet dominum, sic nec dominus qui non habet servum.
Et quisquis exstiterit qui aeternum quidem deum solum dicat, tempora autem non esse aeterna
propter mutabilitatem, sed tamen tempora non in tempore esse coepisse, non enim erat tempus
antequam inciperent tempora, et ideo non in tempore accidit deo ut dominus esset, quia
ipsorum temporum dominus erat quae utique non in tempore esse coeperunt, cuius utique dominus
non erat antequam esset cuius esset. Certe vel ut dominus hominis esset ex tempore accidit
deo. Et ut omnis auferri videatur controversia, certe ut tuus dominus esset aut
meus qui modo esse coepimus ex tempore accidit deo. Aut si et hoc propter obscuram
quaestionem animae videtur incertum, quid ut esset dominus populi Israhel, quia et si iam
erat animae natura quam ille populus habebat quod modo non quaerimus, tamen ille populus
nondum erat et quando esse coepit apparet. Postremo ut esset dominus huius
arboris et huius segetis ex tempore accidit quae modo esse coeperunt. Quia et si materies
ipsa iam erat, aliud est tamen dominum esse materiae, aliud esse dominum iam factae
naturae. Alio enim tempore est etiam homo dominus ligni et alio tempore est dominus arcae
quamvis ex ipso ligno fabricatae, quod utique non erat cum ligni dominus iam
esset. Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici deum nisi quia ipsius
naturae nihil accidit quo mutetur, ut ea sint accidentia relativa quae cum aliqua mutatione rerum de quibus dicuntur accidunt.
Sicut amicus relative dicitur; neque enim esse incipit nisi cum amare coeperit.
Fit ergo aliqua mutatio voluntatis ut amicus dicatur. Nummus autem cum dicitur
pretium relative dicitur, nec tamen mutatus est cum esse coepit pretium, neque
cum dicitur pignus et si qua similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione
totiens dici relative ut neque cum incipit dici neque cum desinit
aliquid in eius natura vel forma qua nummus est mutationis fiat, quanto facilius
de illa incommutabili dei substantia debemus accipere ut
ita dicatur relative aliquid ad creaturam ut quamvis temporaliter
incipiat dici non tamen ipsi substantiae dei accidisse aliquid intellegatur

[Marginal corrections, left margin: "varietatem et" (to be inserted at "propter … mutabilitatem"); "Quid respondebit de homine qui in tempore factus est" (to be inserted at "cuius utique")]